



berg  
7  
16





7, 20 <sup>21</sup>

ORDINIS PHILOSOPHICI  
IN  
ACADEMIA VITEBERGENSI  
DECANVS  
IOANNES CHRISTIANVS  
HENRICI

PHILOS. DOCT. ATQVE ELOQVENTIAE PROF. PVBL. ORD.

PHILOSOPHIAE ARTISQVE POETICAE  
CANDIDATIS

S. P. D.  
EOSQVE AD

VTRIVSQVE INSIGNIA LAVREAE  
M. I. Q. M. CONSEQVENDA

HVMANISSIME INVITAT.

(1796)



ORDINIS PHILOSOPHICI  
IN  
ACADEMIA NITBERGENSI  
DECANVS  
IOANNES CHRISTIANVS  
HENRICI

PHILOS. DOCT. ATQVE PEOGVNTIAE PROV. EXPR. ORD.

PHILOSOPHIAE ARTISQVE POTTICAE  
CANDIDATVS

S. N. D.

BOGDVS AD

ARTISQVE INSIGNIA LAVREAE

M. F. G. M. CONSEQUENDI

REACTISSIMO INVITAT.



DE POMPA TRIUMPHI SENSVS PVLCRI  
IN OPERIBVS ARTIS MAGISTRA  
ROMANORVM.

---

**I**n tanta scriptorum recentioris aetatis, qui de triumpho Romanorum exposuerunt, multitudine, mirum sane est, ne vlli quidem, quantum scimus, in mentem venisse, vel paucis ostendere, quantum eius fuerit momentum in ingenia moresque Romanorum. Nemini enim potest esse dubium, quin tanta pompa, cuius splendor in nulla alia gente aut vrbe vnquam fuit vſitatus, aut viſus, maximo opere valuerit ad animos ciuium, et iuuentutis inprimis, feriendos atque ad egregia quacuis agendos ac ſectendos. Licet enim ſuperbia, arrogantia atque alia quaedam vitia gentis togatae hoc ex

A 2 fonte



fonte deriuari possint: tamen plures virtutes eius inde pro-  
 manasse, multis poterat ostendi, si consilii nostri id fuisset.  
 Teneras praesertim mentes, dummodo ad humilitatem non  
 prorfus essent abiectae, triumphu magnificientia non poterat  
 non ita percutere, vt aemulationis honestissimos sentirent sti-  
 mulos, et sensus honestos, spiritusque generosos fumerent,  
 per totam vitam sibi, patriaeque maxime salutare. Cum et-  
 iam multis spes affulgeret non improbabili, fore, vt ad si-  
 milem gloriam olim adspirarent, modo sibi non deessent ipsi  
 facinoribus: consilia inde concipiebant et in dies magis fir-  
 mabant, omnibus dotibus et subsidiis sese instruendi, quibus  
 idonei fierent ad honores ordinatim consequendos et magi-  
 stratus atque imperia capeffenda. His igitur id vnice agen-  
 dum erat, vt inter aequales excelleret, omnes anquirendo  
 occasiones, quibus egregium publicum augere et de patria  
 bene mereri possent, quo citius, certiusque votorum fierent  
 compotes. Ex hac autem ratione proposita magnus virtu-  
 tum prouentus, maturioribus potissimum annis, erat speran-  
 dus, ardor mentis ad veram gloriam, firmissimum propofi-  
 tum omnia spernendi et fugiendi, a virtute remota et hone-  
 statis famae aduersa, amor patriae sincerissimus, ex tanta eius  
 praestantia intellecta ortus, fides, probitas, animus in labori-  
 bus, molestiis, periculisque suscipiendis ac perferendis im-  
 perterritus et constans et, quod maximum, virtus bellica num-  
 quam

quàm defatigata. In his ergo causæ quoque principes apparent, quare Roma tam fecunda esset maximorum virorum mater et Curios pareret, Camillos, Scipiones, totque alios, facinoribus egregiis nemini cedentes. Noluimus hæc pluribus persequi, satius id esse rati, id tantum indagari, quantum contulerit triumphæ pompæ ad iudicia Romanorum de rebus, ad artem elegantiore[m] pertinentibus, regenda atque acuenda et sensum veræ pulcritudinis excitandum ac formandum. Saepius enim vidimus Historiæ artis auctores propemodum omnes, initia cultus Romanorum hoc in genere, amoremque artis in vniuersum a victoriis de gentibus cultioribus, imprimis de Græcis, deriuasse, nihil vero hæc in re dedisse triumphæ pompæ, cui tamen non parum erat tribuendum, instituto potissimum a Marcello introducto in ferculis triumphorum, opera artis omnis generis præstantissima ducendi.

Tantum quidem constat, Romanos numquam spreuisse opera artis; attamen quam diu mos iste nondum invaluerat, non potuerunt iustum arti pretium statuere aut intelligere et diiudicare, quid vere pulcrum sit censendum. Antea enim imperatores, populorum exterorum victores, triumphorum suorum splendorem eo iam absolui existimabant, si magna vis pecuniæ hosti ademptæ, captiuæ arma, rudesque interdum urbium expugnatarum imagines in pompa ostenderentur



rentur multitudini. Opera vero artis nemo in rerum, victo-  
ribus cedendarum, posuerat censum, sed intacta haec relin-  
quebantur oppidis captis eo quoque nomine, quod in impe-  
ratoribus Romanorum neminem facile reperire potueras ar-  
tis cultorem, neminem, qui ex his urbium spoliis gloriae  
suae incrementum, aut patriae urbi decus publicum accede-  
re posse, putasset. Quamquam vero facile libenterque con-  
cedimus, in urbibus, tum expugnatis, multas fuisse, ubi nihil  
reperiendum esset dignum, quod Romam deferretur, trium-  
phique magnificentiam augere posset: tamen multae quoque  
erant victoriae de gentibus non incultis iam partae, quarum  
urbes captae operibus artis abundarent, quae Romae non fu-  
issent dedecori, imo tanto maiori ornamento, quo magis hor-  
rida erant et inculta omnia, quae Romae hucusque fuerant  
conspicienda. Plurimae saltem Hetruscorum deuitiae erant  
urbes potiores, ubi ars iam diu erat culta, artifices non pror-  
sus contemnendi floruerant, locaque publica saltem multis  
operibus fuerant exornata; et quamquam Romanis sola Etru-  
scorum opera erant cognita et probata, et, quicquid Romae  
conspiceretur, vulgari elegantius elaboratum, ad modum et  
rationem Thufcanicam, quem Stylum hodie dicunt, erat re-  
ferendum (Plin. H. N. 34, 7.): neminem tamen in victoribus  
Romanis cupido ceperat, aliquid e praestantioribus inde ab-  
latum Romam transferendi et sic triumphorum consulendi  
magni-



magnificentiae. Ars igitur omnis, quae non minus ingenium artificis, quam manum eius desiderat, Roma non penitus quidem tum exulavit, sed pro opibus, tot victoriis insignibus, publice priuatimque iam partis, magis friguisse eam dicas, quam totam esse. In priuatis rarus erat verus rectusque operum aestimator; multo rarius inueniebatur emtor. Nec in templis et rebus, ad sacra, cultumque Deorum referendis, elegantiae studium magnopere elucebat. Plinio enim teste, (l. l.) statuae Deorum in templis, vel ad tempus vsque Asiae deuictae, lignae erant aut fictiles. Bene vero cum Romanis actum fuisse videtur eo, quod consuetudo ista, exterorum opera in pompis triumphorum deducendi, non prius inualuit, initiumque eius a Graecis gentibus captum est, non a barbaris et incultis nationibus. Quod si accidisset, sensus et iudicia Romanorum, adhuc integra, facile potuissent corrumpi, ita, ut in horrido et rudi artificum incultorum modo pulchrum inesse putarent, imo instituta quaedam, aut consuetudo, sensim irreperent, quibus ne libertas quidem concessa esset, vetustum modum, semel receptum, in Deorum praesertim simulacris formandis, deserendi, quod in Aegypto obtinuisse, scimus, nec ab Etruscis operibus prorsus absonum esse, videmus, imo a Catone Romanis imminerebat (Liv. 34. 7.) Cum autem Hetruscorum ars, manusque artificum non prorsus abhorreret a Graecis, praesertim antiquioribus, sed cul-



cultus atque imagines Deorum similitudine propius accederent ad Graecorum iis de rebus opiniones: Romanorum ingenia tanto minus obtusa fuerunt ad praestantiam operum Graecorum perspicendam, tantoque facilius lubentiusque his veluti sacris initiandos sese praebuerunt. Verum igitur tempus, quo Romani rectiori pulcritudinis sensu, operumque Graecorum amore, imbui coepta sunt, cum ipsis veteribus ponendum est in annum, u. c. DXXXII. quo M. Claudius Marcellus Proconsul, captis Syraculis, spolia, huius urbis ornamenta, signa et tabulas, triumphi sui decora, Romam deuehi iussit. Hic igitur vir cum factis suis magnus in primis et praeclarus, tum etiam egregius facinorum ac spoliolorum, hosti ademptorum, ostentator, siue solius pompae triumphalis augendae gratia, siue, quo excusatus esset spoliatum, extollendi etiam externi splendoris Romae causa, Syracusanorum opera auferret, verus certe, primusque auctor recti iudicii de operibus artis ferendi, Romanis extitit. Quam ipsi laudem Liuius disertis concedit verbis. Nam (l. 25, 40.) *Marcellus, inquit, captis Syraculis, ut non modo suam gloriam, sed etiam maiestatem populi Romani, augetet; ornamenta urbis, signa, tabulasque, quibus abundabant Syracusae, Romam deuehit. Hostium quidem spolia illa, et parta belli iure: ceterum inde primum initium mirandi Graecarum artium opera, licentiaeque huic sacra profanaque omnia vulgo spoli-*

❧ ❧ ❧

9

*spoliandi factum est.* Mos igitur hic, occupatas vrbes ornamentis suis exuendi et sic triumphis decus conciliandi, a Marcello institutus, ab aliis victoribus, triumphum cogitantibus, tanto magis seruabatur, quod exemplo fiebat et ad bellorum, victoriarumque leges referendus videbatur. (Cic. Verr. 4, 54.) Inde triumphatores ceteri, paucis exceptis, eandem gloriam certatim aucupati sunt, nec in statuis marmoreis subsisterunt, sed quicquid operum artis in pompa ostentari poterat, oculorum aciem perstringens, Romam deportandum curarunt. T. Quinctius Flaminius, Philippi Macedonis victor, non tantum signa aenea et marmorea transtulit, in triumphiferculis exhibenda, sed alia etiam opera, Graeca manu affabre facta, vt vasa multa omnis generis, caelata pleraque, quorum multa eximiae erant artis (Liv. 34, 52.) Ambracientibus M. Fulvius Cos. similia abstulit, triumphi spe excitatus, (Liv. 38, 9.) alia de Aetolis triumphans in pompa ostendit, vt idem (l. 39, 5.) Mummius, Corinthi expugnator, omni artis et pulcri sensu non tantum, sed intelligentia etiam ita erat destitutus, vt vel fabula fieret posteritatis. Velleius enim Paterculus (l. 1, c. 9.) *Mummius, inquit, tam rudis fuit, vt capta Corintho, cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac statuas in Italiam portandas locaret, iuberet praedici conducentibus, si eas perdidissent, novas eas reddituros.* Simile quid de eo Plinius ita refert (35, 4.)

B

Cum



*Cum in praeda vendenda res distraxisset, et rex Attalus VI. M. sestertium emisset Aristidis tabulam, Liberum patrem continentem, pretium miratus, suspicatusque aliquid in ea virtutis, quod nesciret, renocavit tabulam Attalo multum querente, et in Cereris delubro posuit.* Hic igitur homo, quamvis rudis et incultus, cuius etiam haud dubie externus urbis splendor parum intereat, nihilo secius ingentem vim praestantissimorum operum Graecae artis, quaecunque oculos capere, putabat, aut alicuius momenti et pretii esse, dicebantur, conuasari iussit, Romanique deuehi, nullo alio consilio, quam ut triumphi splendidissimi gloriam captaret. Insecuti deinceps imperatores, spe aliqua triumphi nutriti, spoliandi occasionem numquam praetermittere, ac neque modum, neque modestiam habere, tam insatiabili huius gloriae, e triumphorum specie pariundae, ardentes cupiditate, ut, cum priores templorum decoribus inuolabilibus pepercissent (Cic. in Verr. I. 4. 54.) nihil pensi haberent, sacrae essent an profana, quae diriperent. Sufficit, vno Syllae exemplo hoc in manifesto ponere. Hic enim non solum Athenis, vel e Iouis Olympii templo, optima quaeque abstulit, (Plin. 36. 6.) sed alijs quoque, ac vel sanctissimis Graeciae atque clarissimis templis, rapaces manus intulit, ut Apollinis Delphico, Aesculapii Epidaurio et Iouis Elio, quod Diodori Excerpta testantur (p. 406.)

Cum

Cum igitur tot imperatores ingentem vim operum Graecorum Romam deferrent: multi, quod facile dabimus, praeter alia publicum, priuatumque splendorem spectasse censendi sunt; plerisque tamen et praesertim prioribus, inde a consuetudine illa introducta, pompae triumphalis magnificentiam maiori curae fuisse et in causis spoliandi praecipuis, ex aliis etiam rationibus liquet. In tot scilicet operibus, Romam delatis, multa fuerunt, quae nunquam augendae magnificentiae causa publicis aut priuatis in locis collocarentur, et quae ad splendorem ne quidem conferre possent, aut detrimenta fecissent, si factum id esset. Hinc multa, cum primum triumphus esset actus, in aerarium delata legimus, vt in Liuio (45, 39.) Ibi enim Seruilius causam agens L. Aemilii, quem Sulpitius Galba T. P. triumpho despoliatumibat, sic pro eo dixisse narratur: *Quo signa aurea, marmorea, eburnea, tabulae pictae, textilia, tantum argenti caelati, tantum auri, tanta pecunia regia? An noctu, tantquam furtiua, in aerarium deportabuntur?* Apparet igitur hoc ex loco, quantum sit tributum publicae pompae, et quam acerba fuerit triumphis iactura imminens, eo quoque nomine, quoniam tanta rerum excellentissimarum copia tum ostendi non potuisset populo, iisque sine pompa in aerarium delatis, imperatori haec gloria periisset omnis. Quod idem ex pluribus etiam locis Lituianis intelligitur, vbi alii quoque



duces, triumphum petentes, similem in modum queruntur, sibi inimicorum contentionibus periculum instare, ne fraudentur ista aliorum felicitate. Multa praeterea opera egregia re vera publicis in locis non fuisse collocata, nec splendoris aut praestantiae suae causa, aut, ut curiosis artis amatoribus possent ostendi, publice fuisse seruata, inde verum fit, quod multa cum aliis rebus in praeda auctionibus haestae subiecta esse narrantur. Cuius rei Plinius (35, 4.) auctor est, Mummii exemplo ibi relato, qui tabulam illam Liberi patris, de qua supra iam dictum, cum aliis distracturus erat, occultanti vero vim inesse ratus in Cereris delubro eam posuit. Diserte adiicit idem scriptor: *quam primum arbitror picturam externam Romae publicatam. Deinde video et in foro positas vulgo. Paucis vero interiectis: sed praecipuam, inquit, auctoritatem fecit publice tabulis Caesar dictator, Aiace et Medea ante Veneris Genetricis aedem dicatis. Post eum M. Agrippa vir rusticitati, quam delictis propior. Extat certe eius oratio magnifica, de tabulis omnibus, signisque publicandis.* Ex hoc igitur atque aliis Plinii locis multis, in quibus statuas atque alia opera, templis dicata, commemorat, manifestum fit, morem, opera Graecorum, victoriis capta publicandi, sensim modo inualuisse, serius autem esse frequentatum, ac pro ingenti numero harum rerum allatarum, minimam tantum partem sacris tem-

templorum vñibus, publicoque decori esse destinam. Maxima igitur pars cessit priuatis, qui aut sub hasta emerunt multa, ingenti interdum pretio, aut iure victoriae sibi non pauca, ac vel praestantiora, vindicare potuerunt, quales fuerunt imperatores praesertim ipsi, quibus magnam praedae portionem, ideoque operum eiusmodi, iusta lege competiisse scimus. Quodsi hac parte legitima contenti, non plura, quam sibi debita, ad se raperent, quod haud raro factum fuisse constat: haec iam pars non fuit parua, quae post tot victorias et triumphos priuatorum in possessionem peruenit. Inde quoque viam cognoscimus, qua fieri potuit, vt ditiores ac nobiles in aedibus suis Romae iuxta, ac in villis extra urbem, mature iam tot abundarent egregiis statuis non minus, quam aliis operibus artis Graecae excellentissimis. Hinc iam Scaurus aedilis, Syllae priuignus, aedificato ingentibus sumtibus theatro, tria habuit millia signorum aeneorum, siue e suo, siue ex parte ab amicis commodatorum, quibus interualla columnarum aedificii istius exornaret, (Plin. 36, 15.) qui idem etiam primus omnium dactyliotheam instruxit Romae (Plin. 37, 1.) Ex his igitur satis intelligi potest, quantum victores et triumphatores dare consueuerint urbis splendori, nec vlli persuadere audemus, eos in more, opera Graecorum victis ex opidis auferendi, minus spectasse triumphorum suorum magnificentiam, quam publicam. Nec difficile est, si artes fig-  
 latim



fatiam omnes considerare vellemus, id in promptu ponere, ad-  
 mirationem operum cuiusque artis nullam prorsus fuisse, an-  
 te quam a triumphatoribus aliquid operum Graecorum eius-  
 dem artis Romam deportaretur, et tum demum cum admira-  
 tione eorum, iamiam oculis conspensorum, cupiditatem multis  
 fuisse incensam. De statu is omnis generis cum ex marmore  
 tum ex aere, vasis caelatis, tabulisque pictis id iam liquet ex  
 iis veterum locis, quae huc vsque protulimus, nec opus est,  
 Plinii et Liuii testimonia repetere. Quare de gemmarum  
 amore testis in medium prodeat. Scimus quidem ex Histo-  
 riae Naturalis scriptore, Scaurum iam tantum collegisse gem-  
 marum sculptarum, vt dactyliotheacam primus posset condere.  
 Attamen verus earum amor non prius pluribus excitatus est,  
 quam Pompeius, Mithridatis victor, huius ipsius regis dactyli-  
 otheacam Romam deferret, quod ex ipsis actis huius trium-  
 phi Pompeiani Plinius probat (37, 1.) qui locus rei nostrae  
 egregie patrocinator: *Victoria illa Pompeii primum ad  
 margaritas, gemmasque mores inclinavit: sicut L. Scipi-  
 onis et Cn. Manlii ad caelatum argentum et triclinia ae-  
 rata, sicut L. Mummi ad Corinthia et tabulas pictas.*  
 Vasorum vero murrhinorum, cognitionem quorum cupiditate  
 paulo post multi vel insaniebant, eadem victoria aperuit, vt  
 idem Plinius (l. l.) De numis res ipsa, eorumque conspectus  
 loquitur, satisque notum, Romanorum numos tam diu rude  
 quid



quid et durum ostendisse, donec cum exquisitius Graecorum artificium, ingeniumque in argumentis, symbolis, emblematicis eorum inueniendis, esset cognitum per tantam eorum copiam in triumphis illatam; tum etiam aliorum Graecorum operum, cum numerorum artificio cognatorum, aspectus meliora suaderet, Romanorumque hac in re sensum formaret. Architecturae opera eadem via cultiorem sensum induisse formam, vel columnis, e Graecis aedificiis Romam deuectis, Elegantissimus Stieglitius ostendit (*in der Geschichte der Baukunst der Alten, p. 389.*) Multum igitur falleremur, si in tanta copia excellentissimorum operum Graecorum, quae Romae congesta sunt a triumphantibus, contendere vellemus, mortales Romae ad pulcritudinem eorum percipiendam obtusos mansisse; nec fieri potuisse, quin magna saltem pars crebro horum decorum ad aspectu paulatim saltem elegantiae sensum contraheret. Fac etiam, multos in iis, tanta cupiditate emendis, splendori studuisse, tamen illud ipsum studium cognitionem quandam, sensumque artis absolutioris supponit, nec ab rudibus et prorsus impolitis talia appetuntur tam cupide. Ipsa quoque Catonis in Liuiio (l. 34, 4.) querela declarat, ista aetate non amplius delectatos esse Romanos antiquis operibus Tuscanicis, eorumque iudicia de gratiis operum Graecorum iam satis fuisse limata ac polita. Dicit enim: *Infesta, mihi credite, signa ab Syracusis illata sunt huic orbi.*



*urbi. Iam nimis multos audio, Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes, mirantesque et ante fixa sibililia Deorum Romanorum videntes.* Alia, quae in rem nostram afferri poterant, alii scribendi occasione feruare cogimur, temporis et spacia angustiis circumsepti.

Iam enim agenda sunt partes, publica auctoritate nobis tributae, offerendumque diuinæ humanaeque sapientiae cultoribus, meritis suis confisis, vtriusque laureae decus. Cum scilicet a maioribus praeclare institutum sit, vt, qui doctrina excellent, non tantum ab imperita multitudo, sed ab aliis etiam, honestam aliquam artem professis, ipsis nominibus honorificis, graduque discernantur: Vos omnes, quibus liberalissimum hoc diligentiae ac doctrinae praemium curae est, nomina Vestra profiteamini et parate Vos ad eruditum certamen dignitatis Vestrae, publicis, priuatisque experimentis comprobandae. Non deerit nobis voluntas, desideriiis Vestris, humanissimaeque honoris cupiditati, satisfaciendi; ornamenta potius viris doctis conuenientissima, pridie Kalendas Maias solenni ritu, animoque prompto impertiemur. P. P. in ipso anniuersario Epiphaniarum sacro anno c<sup>l</sup>o c<sup>l</sup>cc<sup>lxxxvi</sup>.

---

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISIL.

Wittenberg, Diss., Ergbd. 7, 1792-96  
vol 18

ULB Halle

004 335 651


3



f  
Sb.







17, 20 21

ORDINIS PHILOSOPHICI  
IN  
*ACADEMIA VITEBERGENSI*  
DECANVS  
**IOANNES CHRISTIANVS**  
**HENRICI**

PHILOS. DOCT. ATQVE ELOQVENTIAE PROF. PVBL. ORD.

PHILOSOPHIAE ARTISQVE POETICAE  
CANDIDATIS

S. P. D.

EOSQVE AD

VTRIVSQVE INSIGNIA LAVREAE

M. I. Q. M. CONSEQVENDA

HVMANISSIME INVITAT.

(1796)

